

V C  
2542





h. 3, 34.

Vc  
2542

ORATIO FUNEBRIS,

In

Beatissimum Obitum,

Nunc

DIVÆ,

Olim

Serenissima Principis ac Domina,

Domina

ERDMUTH SOPHIA,

Potentissimi Electoris Saxoniae

JOHANNIS GEORGI. II.

Incomparabilis Filia,

Marchionis Brandenburgicae, Magdeburgi, Borussiae,  
Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum & in Silesia  
Crosnae & Carnoviae Ducissae, Buggraviae Noribergensium,  
& Principis Halberstadiensium, Mindensium & Caminensium,

Patriae Matris longè clementissima,

Beruthi, XII Junii, A. O. R. clo lcc LXX.  
piissimè defunctae,

Serenissimi Principis ac Domini,

Domini

CHRISTIANI ERNESTI,

Marchionis Brandenburgici, Magdeburgi, Borussiae, Stetini,  
Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum & in Silesia Crosnae & Car-  
noviae Ducis, Burggravi Noribergensium, & Principis Halber-  
stadiensium, Mindensium, Caminensium,

Patris Patriae, optimi, maximi,

Conjugis, eheu ! desideratissimae,

In

Ill. Ill. Brandenb. Brandenb. Heilsbronnensi  
Gymnasio,

Devotionis subjectissimae ergò, XXIV. Augusti,

habita

à

M. Martino Clemente Colero,  
dicti Gymnasii Rectore.





On dubium mihi est, quin  
 Vobis, Auditores omnium Ordinum hono-  
 ratissimi, mirum videatur, quòd vestrum in  
 conspectum jam prodire non dubitavi, tan-  
 tamque provinciam ac onus suscipere ausus  
 sum; non tamen credetis, opinor, ideò fa-  
 ctum esse, ut levem auram captarem, aut Thra-  
 sonis gere-  
 rem personam, quemadmodum solent isti, qui ad dicendum  
 surgunt, ut ostentent ingenium, auditoribus conspicuam red-  
 dant verborum copiam atque uberem gestum, elocutionis &  
 facundiæ urnam, ut sic loquar, prælibandam propinent. Non  
 mea hæc mens, non ratio, sed alia, prægnans fanè causa, in  
 hunc me locum adduxit. Mandatum scilicet Illustris, quod Be-  
 ruthi est, Synedrii Ecclesiastici, quo injunctum mihi est, ut ho-  
 dierno die in memoriam & laudem piissimè in CHRISTO  
 JESU defunctæ, *Serenissimæ Principis ac Domine, Domine*  
*ERDMUTH-SOPHIÆ, Potentissimi Electoris Saxonie,*  
*JOHANNIS GEORGII II. incomparabilis Filix, Mar-*  
*chionissæ Brandenburgensis, Magdeburgi, Borussia, Stetini,*  
*Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum & in Silesiâ Crosnæ*  
*& Carnovia Ducissæ, Burggravia Noribergensis, Principis*  
*Halberstadii, Minda & Camini, Serenissimi Principis ac Do-*  
*mini, Domini CHRISTIANI ERNESTI, Marchio-*  
*nis Brandenburgensis, Magdeburgi, Borussia, Stetini, Pome-*  
*ranorum, Cassubiorum, Vandalorum & in Silesiâ Crosnæ &*  
*Carnovia Ducis, Burggravi Noribergensis, Principis Halber-*  
*stadii, Minda & Camini, Domini ac Nutritii nostri clementis-*  
 simi, Conjugis, cheu! desideratissimæ, cujus anima in altis-  
 simò æternitatis sinu jam requiescit, Orationem funebrem hoc  
 loco haberem. Cui Mandato Illustri nisi assurgerem ocyus &  
 pro virili satisfacerem, quantam tum reprehensionis notam in-  
 currerem, facile videbam. Acescit acerbissimus luctus Sere-  
 nissimi Principis, Patriæ nostræ Patris laudatissimi, ex obitu  
 Conjugis amandissimæ prognatus, ad quem, quacunque ra-  
 tione id fieri posset, leniendum, meipsum atque omnes Patriæ  
 Cives obstrictos esse, ex eodem Illustri Mandatò haud obscure  
 colligebam. Quod si eadem est parentum & filiorum fortuna,  
 ita, ut, gaudentibus fortè parentibus, & filii gaudeant; lugen-  
 tibus verò, & ipsi lugeant vicissim: quantò magis Patriæ Pa-  
 tris fortuna cives afficiat & subditos quoscunque, in quos sin-  
 gulis

gulis horarum momentis à Patriæ Patre clementissimo longè  
 majora redundant commoda, quàm à parentibus indulgentis-  
 simis in liberos pro manare unquam possunt. Igitur qui luctum  
 Patriæ nostræ Patris non dolet, dolorisque signa, præsertim  
 si iussus fuerit, non edit luculenta, immorigeri ingratiq̃ue filii  
 notam nunquam effugiet talis, aut ullâ ratione declinabit. Quòd  
 si amicus amici dolore movetur, inque ipso consolando non  
 mediocrem ipse animi dolorem adhibet; quid tum faciendum  
 putabitis, quando Princeps benevolentissimus dolore, Prin-  
 ceptus humanissimus luctu & squalore tantum non conficitur?  
 Annon æquum est, justumque, ut anima nostra tota tum per  
 membra singula consentiat, & tali dolori, talique luctui &  
 squalori indolescat. Quæ cum ita sint, nemo Vestrum mirabi-  
 tur amplius, quòd hunc locum conscenderim ad Vos verba fa-  
 cturus, cum solum, de quo dixi, Mandatum Illustre, cuius &  
 apud me plurimum valet, & apud vos omnes peræquè valere  
 debet autoritas, eò compellere me potuerit, meque adeo satis  
 superque omnibus excalet, & omnem *πολυπραγμοσύνης* inanisque  
 gloriolæ captandæ, à quâ per omnem vitam abhorruì, suspi-  
 cionem à me procul semoveat atque avertat. Sed enim, ut  
 verum fatear, cum initio animum meum ad hoc appuli offi-  
 cium, cogitavi sæpenumero, animique incertus non semel ex-  
 pendi, an suscipi hæc provincia à me debeat aut possit, vel ob  
 ipsius potissimum rei magnitudinem, quæ vel exercitatisimi  
 cuiusque turbare mentem poterat. Siquidem de laudibus piis-  
 simè defunctæ Principis Nostræ dicere, quàm difficile, quàm  
 arduum, imò ferè, ut Gellianò verbò utar, impossibile sit, ne-  
 mo non intelligit: de laude Principis Saxonico-Brandenbur-  
 gicæ dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum oportet  
 in maximarum rerum ignoratione versari: Ipsa enim ad tan-  
 tum gloriæ apicem assurrexit, ut nullius, quamlibet etiam di-  
 ferti & eloquentis Oratio magnitudini illius respondere queat.  
 Tum tantâ remporis angustiâ, quæ ad elaborandam hanc & ha-  
 bendam Orationem concessa mihi est, concludor, ut, cum &  
 tam beato esse non licuerit mihi, ut in egregias & supra laudem  
 positas Virtutes & actiones omnes ac singulas Ducissæ No-  
 stræ introspicere penitus potuerim, valde verear, ne laudes  
 Illius hæc Oratione meâ deteram potius, quàm eâ, quâ par  
 est, animi submississimi fidelitate amplificem. Quocirca ma-  
 gno percellor timore, & animo sum non solum conturbato, sed  
 anxio etiam & ferè abjecto, cui ad has dicendi partes jam vo-

cato tot se offerunt impedimenta. Utinam dum imparibus arduam hanc molem humeris impono, aut Ciceronis voce uti possem, aut alacritate Demosthenis excitari, quæ angustiam temporis, quâ præter opinionem constringor, cominodè resarciat, & reliqua è mediò impedimenta feliciter tollat. Sed tantorum Oratorum opem frustra desidero. Quid igitur? anne à proposito desistam? Absit à me, absit longissimè, qui inopinatam officii hujus necessitudinem subire, quàm silere cum dedecore ac id propter, solâ obsequendi gloriâ placere præoptavi. Adhæc ad dicendum allicit me, Vestra, Auditores, humanitas, reficit æquanimitas, quâ nixus, à Vobis etiam atque etiam contendo, ut festinatæ meæ Orationi favetis placideque indulgeatis, & in quam me spem vultûs Vestri oculorumque benignis iudiciis erexistis, eam attentione quoque Vestrâ confirmare dignemini.

Quid primùm dicam, aut unde potissimum exordiar, Auditores? Num à natalium ac generis splendore? num à profapiæ nobilitate? Bene. Non enim in filios tantum, sed in filias etiam generositas & virtus parentum propagatur. Hinc invidendis Virtutum & rerum præclare gestarum monumentis foeminas æquè atque viros universo Orbi accepimus innotuisse. Verè sanctèque affirmare nos possumus, vix familiam reperiri in universâ Germaniâ, quæ Saxoniam & Brandenburgicam, unde Ducissa nostra oriunda est, vel antiquitate vel claritate superet. Percurrite populorum annales, evolvite rerum antiquarum monumenta, & invenietis, à Regibus, Cæsaribus & Ducibus Saxonibus Ducissam Nostram, Divam ERDMUTH - SOPHIAM sanguinem trahere indelibatam. Ecquis enim adeò in tenebris delituit, ut ipsi WITTEKINDORUM, OTTONUM & HENRICORUM nomina non innotuerint, quorum Virtutes si numerare saltem & inde ad FRIDERICUM I. in familiâ Marchionum Misniæ primum Electorem, ordine descendere vellemus, patentissimus dicendi campus, ad quem emetiendum hic dies haudquaquam sufficeret, nobis aperiretur. Jam Laudato FRIDERICO I. bellicosior quis erat & felicior? FRIDERICO II. quis humanior? ERNESTO quis religiosior? FRIDERICO SAPIENTE quis sapientior? JOHANNES quis constantior? JOHANNIS verò FRIDERICI Magnanimi, MAURITII Germaniæ Liberatoris, AUGUSTI Augustissimi, CHRISTIANI I. CHRISTIANI II. & JOHANNIS GEOR-

GEORGI I. Fratrum Christianissimorum præclara facta Christiano orbi ita inclaruerunt jam pridem, ut de ijs nulla posteritas, si qua speranda est, conticescere, neque oblivio ulla obliterare eadem potis sit futura. Gratulatur præsens etiam hæc ætas & in immensum sibi semper gratulabitur de Serenissimo & Potentissimo Principe Electore, JOHANNE GEORGIO SECUNDO, Ducissæ nostræ, Divæ ERDMUTH-SOPHIÆ Parente optimo, Imperium Romanorum Sacro-Sanctum & Ecclesia Lutherana, in quam conservandam ornandamque omni studiô & curâ, noctes æquè atque dies, incumbere consuevit. Nec minus familia Brandenburgica conspiciam claritate & antiquitate se illis reddidit, quibus curæ cordique est historiarum monumenta exosculari. Accepimus enim, PETRUM COLUMNIIUM Castellæ & Nominis ZOLLERIANI, à quo Familia Brandenburgica originem trahit, esse autorem, quem ex antiquissimâ Guelphorum stirpe fuisse ferunt & in Italiam traductum ab Imperatore HENRICO QUINTO, donatumque possessionibus & jure Civitatis, nomen cum fortunâ mutasse; cum verò, contentione ortâ, adhæresceret HENRICO contra Pontificem, pulsum rediisse ad avitas sedes, conditâ arce illi, quam in Italiâ tenuerat, ὀμωνύμια. Repetite veterum memoriam, & mentis oculos per antiqua familiæ hujus decora circumferte, & comperietis, FRIDERICUM I. Comitem in ZOLLERN, obtinuisse à RUDOLPHO munus & dignitatem BURGGRAVIORUM Noribergensium, atque etiam, ut hæc deinceps jure hæreditario transfret in posteros, impetrâsse, & primum in Domum suam, Principatum Brandenburgicum intulisse & dignitatem Electoralem, quâ major in Imperii Statibus reperiri non potest. Quid autem, roget quis, ad fastigium Electorale eum extulit? Nihil profectò aliud, quàm claritas nominis & rerum gestarum magnitudo. Quis enim unquam Principum fuit, qui eum vicerit magnanimitate & fide? Sicut autem

Fortes creantur fortibus & bonis

nec imbellem feroces

progenerant aquilæ columbam;

ita tota hęc Principe profecta posteritas rempublicam administravit eâ cum laude, quæ potest esse maxima. De quo enim unquam audivistis Principe, qui superârit FRIDERICUM II. modestiâ, ALBERTUM, quem strenuitas & robur inusitatum corporis cognomentum ACHILLIS GERMANICI invenire

b

fecit,

fecit, fortitudine & felicitate, JOHANNEM, CICERONEM, eloquentiâ, JOACHIMUM I. NESTOREM, prudentiâ, JOACHIMUM II. HECTOREM, autoritate, JOHANNEM GEORGIUM clementiâ, CHRISTIANUM pacis studio & munificentiâ, avum scilicet illum Principis nostræ beatissimè defunctæ. Is enim Pater est Serenissimæ Principis ac Dominae, Dominae MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Potentissimi Electoris Saxoniae, JOHANNIS GEORGI SECUNDI supra laudati, CONJUGIS, rarissimæ ac in exemplum natæ Matronæ. Multa hîc consultò prætereo. Nam si, quæ à me vix tacta sunt, iis singulis immorari vellem, in infinitum possem progredi. Tantis & talibus Majoribus & Parentibus prognata Serenissima ERDMUTH-SOPHIA non potuit non omnibus virtutum radiis, quoad vixit, coruscare, utpote quarum rudimenta in ipsos posteros à Progenitoribus propagari & possunt & solent. Jam igitur ad ea, quibus excellens Principis nostræ erga Deum pietas eluxit atque religio, nostra sese convertat Oratio. Hæc enim princeps virtus est, & in Principibus maxime requiritur, cum ab eâ non solum colorem, sed & sanguinem ducant honestæ actiones. Is autem verè pius habetur, qui ab omni scelerum contagione vehementer abhorrens in sempiterni Numinis amicitia gaudet permanere. Talis Nostra Ducissa, talis Diva ERDMUTH-SOPHIA. Amorem enim Dei & Ecclesiæ cum ipso Genitricis lacte, ut loqui amamus, suxit quasi, totâque mente penitus combibit, ut, nisi pulcherrimum illud SOPHIÆ nomen accepisset, id ipsa sibi pietate suâ peperisset; cum nemo veræ sapientiæ nomen tueri possit, nisi qui illibatæ pietatis laude reliquos antecellit. In Serenissimorum certè Parentum sinu adolescens pietatis & orthodoxæ religionis amorem statim hausit, & ad illius regulam maturè sese annis componere est, idque eò magis, quò majora & luculentiora pietatis exempla in ipsis Parentibus, tanquam in nitidissimò speculò, quotidie conspiceretur. Et quantâ cum curâ & sollicitudine ipsa educata à Parentibus atque ad pietatem instituta fuerit, inculpatæ postea vitæ indole, & innocentissimis animi moribus abundè docuit. Valeant, dixit, valeant omnia, quando pietatis & Evangelicæ cura doctrinæ agenda est: indigna sim Majoribus meis, si quicquam ei anteponendum putem: omnes coronæ, omnia Regna, omnia Imperia præ hæc sordent mihi. Hinc omnes curas in hoc intendit, huc omnes cogitationes suas contulit, ut scilicet, in intimò mentis veluti

Thea-



Theatrô, vitæ integritate, sanctitate morum & conscientia rectæ voluntatis uni placeret Deo. Quo ipsô factum est, ut præstantissimam Virtutum pietatem omnium dictorum & factorum moderatricem semper haberet. Hancque insignem in Ipsâ fuisse, & quæ planè in exemplum aliis proponenda veniat, vel illud præcipuè testari potest, quod dictum illud à PAULO Gentium Doctore prolatum,

PIETAS AD OMNIA UTILIS,

pro Symbolô suo passim usa est, quo ipsô Serenissimum Principem, CHRISTIANUM ERNESTUM, Dominum suum Conjugem dulcissimum, affici admodum & delectari sciebat. Articulorum fidei, quibus animarum nostrarum salus nititur, fundamenta, ut erat singulari ingenii docilitate nata, tam cito arripuit, ut Inspectori suo, jam *μακαριστήν*, JACOBO WELLERO, Doctore Theologo, Viro de Ecclesiâ Christi optimè merito, ex votô satisfaceret; aliis verò sui sexûs statusque, etiam felicissimæ indolis, exemplum esset. Ministros Verbi Divini magnô in pretiô habuit, illos cum primis, quos virtutum luminibus conspicuos notabilesque facem probitatis auditoribus suis præferre intellexit. Jam in ipsô morbô, qui decretoria arma in Ipsam stringere statim visus est, quæ pietatis dederit specimina, vel inde patet, quod primam animæ suæ curam habendam esse censuit, idque propter Consummatissimum illum Theologum, qui ipsi à confessionibus sacris, quoad vixit Beruthi, semper fuit, toties ad se & cum tantô desiderio accersi voluit. Est Is maximè Reverendus, Nobilissimus & Magnificus Dominus CASPAR à LILIEN, Hæreditarius in *Waisendorff* / Consiliarius Brandenburgicus intimus, totius Marchionatus Superioris Superintendens Generalis, Supremus Concionator Aulicus, Consistorii Baruthini Assessor primarius, & Illustris Collegii CHRISTIAN-ERNESTINI Director gravissimus, Dominus Patronus & Promotor meus devotâ animi submissione ætatem venerandus: Theologus excellentiâ ingenii & bonitate naturæ, virtute & sanctitate morum, inusitatâ eruditione atque doctrinâ celeberrimus, antiquitatis Scrutator acutissimus. Cum quô sicuti, cum commodè adhuc haberet, & valetudine corporis prosperâ tutâque uteretur, de rebus Divinis sermonem benè longum sæpiùs miscuit; ita cum eodem in illâ ipsa vi morbi decretorii, quem febrim scorbuticam fuisse ajunt, de Misericordiâ Dei, quem ex animô coluerit, deque meritô CHRISTI Servatoris, in quem firma

fide crediderit, collocuta sæpe est, & clarâ voce confessa, se exemplô Augustini, Ambrosii & Bernardi, quorum mentionem fecerat Magnus Dominus à Lilien, non nisi in CHRISTO ejusque merito omnem spem suam omnemque fiduciam collocasse, & ad extremum usque vitæ halitum collocaturam esse. Cui prætereà ignotum est, quàm prompto devotoque animo, cum satis valetudinis adhuc haberet, rei divinæ interfuerit? in Deum unice speraverit? in unô hōc omne præsidium suum posuerit? Verbum ejus usque meditata fuerit? obsecrationibus nocte dieque institerit? Neque verò ipsa solùm pietate defuncta est, & candida Christianô pectore nihil subdolum, nihil versutum redoluit, sed & ab omnibus, qui ipsi à latere in Aula fuerunt, fundamentum illud Virtutum summo studio, assiduitate & attentione coli seriò mandavit. O singularem pietatis amorem! O ardorem memorabilem! Qui quidem amor, qui ardor Domui Saxonicæ solennis & proprius semper fuit, ut Ipse LEO Pontifex, exaratis ad FRIDERICUM SAPIENTEM literis, disertis hisce testaretur verbis, *inter alia Domûs Saxonicæ ornamenta proprium hoc illi semper hætenus fuisse, quòd religionis observantissima haberetur.* Equidem si historiarum monumenta replicamus, tantam certè curam & vigilantiam Heroum Saxonorum, in orthodoxæ Religionis radiis per latè patentia Universi regna & imperia diffundendis, & ad posteros transmittendis deprehendimus, ut ejus admiratione obstupefacti, Ipsos Heroes ad facinus tam præclarum divinitus destinatos fuisse, palam confiteri necesse habeamus. Quos, quæso, & quantos Illi labores, ejus rei gratiâ pertulere? quibus & quantis difficultatibus conflictati sunt? quæ & quanta periculâ subierunt, dum quidvis satius esse duxere, quàm ut quicquam, in Principatibus suis, de Apostolicæ Religionis integritate minueretur. FRIDERICUS SAPIENS facem purioris Doctrinæ primus intulit in Germaniam, ejusque patrocinium ita suscepit, ut, quæ à Cæsare & Pontifice intentabantur fulmina innocentissimo Doctore Lutherò, nocere nullâ ratione possent. JOHANNES, qui certaminibus religiosis, & Confessione Augustanâ jussu suò conscriptâ, & CAROLO V. in Comitibus exhibitâ, CONSTANTIS nomen meruit, juxta Symbolum suum, quo confessus est, *Verbum Domini manere in æternum*, purioris Religionis studium rebus aliis omnibus anteposuit: & cum, in ipsis Comitibus Augustanis, Imperator CAROLUS Principibus, & cum primis JOHANNI nostro lau-

laudatissimo concionibus publicis frequentandis & audiendis interdiceret, gravissimè interminatus; Ipse JOHANNES heroicò testificatus animò est, non minus carere se Oraculis Divinis, quàm quotidianis alimentis posse, seque ad vitam cum sanguine, ac, si necessitas postularet, Electoralem quoque Dignitatem & Eminentiam, pro confessione fidei suâ ex oraculis divinis desumptâ, ponendam paratissimum esse. O Constantiam! O Magnanimitatem admirandam! Cujus Virtutis magnitudo clarius elucescit, quando potentiam Ejus, Cuitam Constanti gravitate & pietate contradixerat JOHANNES, ad animos nostros penitus revocamus. Fuit Is CAROLUS V. Imperator Germanorum, Romanorum Rex, Hispaniarum, Belgii & Indiarum potentissimus Monarcha, quò fortiolem & potentiolem, ab excessu MAGNI CAROLI, neque viderunt Germani, neque habuerunt, neque habituri fortè sunt & visuri: quem non Europa tantùm, sed & Africa partim, & Asia, atque immenso divulla Oceano America, non sine horrore formidavit. De JOHANNES FRIDERICO, MAURITIO, AUGUSTO, JOHANNES GEORGIO. I. & JOHANNES GEORGIO. II. si gemina commemorare instituerem, in immensum certè excrelceret Oratio. Enimvero JOHANNES FRIDERICUS Lutheranam Religionem tantò complexus zelò est, ut quod in modò commemoratis Comitibus Augustanis testificatus est Pater JOHANNES, Ipse Filius opere iplo compleverit, dum, asserendæ cœlestis Veritatis ergò, periculosissimam Belli subire aleam, præsentissimum vitæ periculum adire, & Septemvirali Eminentiam privari maluit, quàm ab ipsâ cœlesti Veritate vel latum unguem discedere: quam discessionem si voluisset facere, clementiam Cæsaris miris sibi devinxisset modis, & ab eo pactorum dotalium cum Clivensi, Confirmationem, jusque in Illius succedendi territorio, Conjugium insuper ELEONORÆ FERDINANDI R. Filia cum JOHANNES FRIDERICO, majore natu Filio, & tantùm non omnia, quæ peteret, impetrasset. Quòd verò hæc omnia puriori Religioni longè post posuit, quantâ laude dignissimum factum perpetravit? tantâ certè, ut illi pro merito extollendæ, nec Tullii, nec Demosthenis, nec Periclis ora disertissima ullo modo sufficere videantur. MAURITIUS verò & AUGUSTUS quantum præstiterint in asserendâ Veritate Evangelicâ, universâ Germaniam pervulgatum est. Ille sanè, cùm fundamenta Ecclesiæ Lutheranae ab hostibus subruerentur iterum, & omnia ruinam minari viderentur; Ille, inquam MAURITIUS præstò fuit, cadenti Domui

c

Chri-

Christianæ succurrit, Ipsum Triumphatorem CAROLUM triumphavit, ad mitiora consilia pellexit, nec quievit antè, quàm Passavienlem transactionem extorqueret, & sic rem Evangelicam omnino restitueret. Hic autem, nempe AUGUSTUS, quanto cœlestis Veritatis amore flagraverit, FORMULA CONCORDIÆ in negotio Religionis, jussu Ipsius; à præstantissimis conscripta Theologis, ad oculum ostendere cuivis potest. Cum enim Ecclesiam, quam violentiâ opprimere hætenus satagebat Satan, jam fraude inciperet & astutiâ infestare, dum complura excitavit ingenia Schismatica, quæ infestis modis turbârunt Ecclesiam & miserè dilacerarunt, tanto malo ut obviam iret, suarum esse partium arbitratus est Divus AUGUSTUS, ideoque Formulam illam Concordiæ, nunquam satis laudatam, conscribi curavit, quâ non rectè tantùm Docentes ad *ὑποδύπνωσιν ὑγερμόνηων λόγων* adstringerentur, sed luxuriantibus etiam & ferocientibus ingeniis injiceretur frenum, ut, in articulis fidei proponendis, versari cautius addiscerent, & à tranquillitate Ecclesiæ turbandâ deinceps desisterent. Sedulas quoq; Ecclesiæ excubias egisse JOHANNEM GEORGIUM I. Avum Ducissæ Nostræ beatissimè defunctæ, historiæ comprobant atque testantur. Vel illud amoris & studii, erga pietatem & puriorem Religionem, quàm evidens est documentum, quòd, pro Libertate Patriæ & avitæ Religionis, cum hostibus Veritatis Evangelicæ, Ipse manu conferuit, & ita feliciter quidem, ut fuis ac victis hostibus nullum præsidium aliud, quàm in fugâ restaret. Non minori curâ & labore, ad puritatem Religionis in ditionibus suis Electoralibus conservandam, incumbit Serenissimus Elector JOHANNES GEORGIUS II. Pater Divæ ERDMUTH-SOPHIÆ, qui Majorum vestigia suorum intuitus, quidvis potius antè tentaret, quàm florem Lutheranae Religionis illibatum corrumpi aut contaminari saltem pateretur; dignus, qui perpetuò vivat, certè non nisi ferus excedat rebus humanis. Quæ omnia longâ serie hætenus enumerata probant singularem Domûs Saxonicae pietatem, & zelum in puritate Religionis asserenda indefessum. Paria cum Hâc facere Domum Brandenburgicam, ita notum omnibus & perspectum est, ut, qui id eat inficias, vel rerum omnium ignarum, vel extremè malum esse oporteat. Eandem enim seriem piissimorum Marchionum Brandenburgensium in medium jam producere possemus, nisi angustiâ temporis prohiberemur, & nos ipsi hâc vice brevitati studere, animum induxissimus.

xiffemus. Tam piis prognata Majoribus Diva ERDMUTH-SOPHIA, quid mirum, si inter perpetua pietatis juxta & honestatis studia adolevit, tantò boni cujusque exempli capacior, quò magis ad frugem omnem ab ipsâ Naturâ videbatur facta? Quid mirum, si, quicquid à quotidianis vitæ humanæ actibus vacaret, sacrarum literarum meditationi, & rerum ad Religionis ac fidei curam pertinentium considerationi lubens donaret? Sit ergo maneatque in tantum laudanda Matrona, Diva ERDMUTH-SOPHIA, in quantum pietas probitasque intelligi possunt. Cæterum quid dicam de Historiarum studio, cui, uti fama ad nos pertulit, per omnem ferè vitam, adeoque & teneram illam, quàm diligentissimè operata est. Illud nempe vitæ tempus non in remissionibus animi, neque in iis voluptatibus, quibus ætas illa plerumque & sine reprehensione capitur, posuit, sed accuratissimâ non earum tantùm artium, quæ foemineum exornant sexum, sed historiarum præcipuè, quæ ad omnem vitæ statum formandum rectè tuendumque maximo-pere conducunt, per investigationem consumpsit. Neque verò Ipsam ab eò, quod sibi proposuerat, curriculò aut deterrere laboris multitudo, aut avocare voluptatum blandimenta potuerunt: sciebat enim, hanc unam esse viam laudis & dignitatis, multarum rerum & in communi vitâ utilium cognitione, quæ non nisi ex historiarum hauriri lectione potest, imbuerè animum & Sapientiæ præceptis componere: credebat, nullum esse animi cultum, nullam occupationem liberaliorem, nullum otium amœnius, quàm in tali studiò, in quo, quam operam post istam, quæ sacrarum Literarum meditationi debetur, non collocasset, eam omnem periisse sibi, existimavit. Quo factum est, ut eam animo suo prudentiam indueret, ut de rebus ad hanc vitam attinentibus, utiles & per jucundos sermones miscere cum iis potuerit, quos fortuna ad conspectum & colloquium Ipsius, Laudatissimæ Heroinæ, admisit. Et hîc quidem iterum ingenium & genium Majorum aliorumque Virorum Principum expressit imitatrix, FRIDERICUM SAPIENTEM, Ducem Saxonæ, Electorem, historiarum cognitio tantâ voluptate perfundebat, ut *Epitomen historiarum perscribi sibi curaverit; in quâ series fuit omnium temporum & Monarchiarum; quam ita in conspectu habuit, ut in gravissimis deliberationibus sæpe inde exempla recitaret. Nec rarò idem Princeps dixit, se non tantum, voluptatis causâ, historias legere, sed sumere inde de multis rebus commonefactiones: & cognitionem*

earum necessariam esse non solum Gubernatoribus, sed etiam cæteris hominibus. Verba Cedro dignissima, quæ in Axiomatibus historicis enarrat GREGORIUS RICHTERUS. Gemina sunt, quæ recitat de ALPHONSO Rege ARRAGONIÆ, qui, cum aliquando adversâ laboraret valetudine, & Medicis nihil proficientibus, ipse subinde gravissimis cruciaretur doloribus, Q. CURTII historias, de rebus ab ALEXANDRO M. gestis, legere coepit. Quâ lectione ita tandem fuit delectatus, ut jam doloris oblitus, paulatim pristinae sanitati restitui sibi videretur. Deinde cum morbum prorsus superâisset, valeant, dixisse fertur, Galenus, Avicenna, Hippocrates, & omnes alii Medici: Vivat solus CURTIUS, sanitatis meæ restitutor. PHILIPPUS, communis Germaniæ Præceptor, testis est, Imperatorem CAROLUM V. occupatissimum Principem, obnoxium multis morbis iisque atrocibus, tamen plurimum legisse historiarum: optimè novisse historias Gallicas, Hispanicas, Germanicas, Burgundicas; & Cubiculariorum Ipsius hanc fuisse consuetudinem, ut alius Thucydidem, alius Herodotum, alius Livium, alius Gallicas, alius Hispanicas historias legeret, & quàm familiarissimas sibi redderet, idque ex jussu & instinctu gloriosissimi Imperatoris. Tantorum Heroum mores cum exprimendos sibi putaverit Diva ERDMUTH-SOPHIA, & inde variarum earumque utilium rerum cognitionem acquisiverit; vel ideò digna profectò est, ut summis laudibus à nobis efferatur. Adhæc & Gallicas literas tenuit ad elegantias usque, & animum numerorum imbuit scientiâ, ut supputationum adornandarum peritissima esset. Poëseos quoque Germanicæ studio oblectata, legit optimum quemque Poëtarum, & tandem, imitationis sumptâ fiduciâ, simillima effinxit. Jam diximus aliquid de pietate & prudentia Heroinæ nostræ: de multis aliis autem Virtutibus, quibus mentem compositam habuit, adhuc dicenda restant plurima & ferè innumera, quibus tamen omnibus enumerandis, jam non immorabor; sed faciam, quod magistri numerorum solent, qui, ne in ambages desinant, abeantque in molem rationes, eunt per summas, sequuntur compendii faciendi artes, ut collecta tantùm indicent. Reliqua igitur quæ restare videntur, insinuabo potius, quàm eloquar. Itaque Concordiæ amorem quando contemplor, illum in Divâ ERDMUTH-SOPHIA ferventissimum fuisse deprehendo. Quia ad concordiam & amicitiam conditos nos & formatos, discordiam contrâ non hominum, sed rationis expertium ferarum  
pro-

proprium esse, scivit. Igitur omnes curas suas, omne ingenium, omnemque authoritatem ad concordiam & tranquillitatem sartam tectam servandam conferre semper, quantum quidem foemineus sexus potest, potest autem interdum plurimum, allaboravit. Quanta autem fuit Heroinae nostrae Humanitas? Magna profecto, & quia cum ingenita quadam Gravitate fuit mista, eam propterea omnem laudem si dicerem supergredi, à verò nihil alieni dicerem. Et hanc Virtutem Homini- bus Principibus utriusque sexus magnum splendorem ingensque ornamentum afferre, sapientissimi quique judicarunt. Contra falsissimam animo imbiberunt sententiam, qui, ad auctoritatem tuendam atque augendam, homines è plebe & inferioris conditionis quoscunque ad spectu arcent & colloquio, idque propter, secessus ac solitudinem quærunt, quasi è longinquo, ut loqui amat TACITUS, major reverentia sit futura. Licet enim in familiari consuetudine ægrè custodiamus illud opinionis de nobis augustum, quo nomine rectè fecisse Pericles videtur, qui antea familiaris maxime & comis, simulatque Rempublicam attigit, ab omni cœtu amicorum & convivii sese abjunct: & in more institutoque Regum Persarum est, ut raro copiam sui faciant, ne familiaritate & frequentia Majestas Regia vilescat: nihil tamen ab Humanitate magis alienum esse, imò & noxium magis, Prudentes arbitrantur, quam si Homines Principes locis solis perpetuò delitescant, & umbraculis potiùs Hortorum, quam luce Civium delectentur. Præterquam enim quòd Iplis Principibus Viris Foeminisque plurimum nocet hæc solitudo, quòd malo suo expertus est THEODORICUS Rex Gallia ob abditam & Aulicorum arbitrio moderatam vitam, ut GAGVINUS ait, à Procèribus monasteriò inclusus: tum in Rempublicam sæpe tanta inde damna redundant, quibus recensendis ne eloquentissimi quidem facundia sufficit. Quemadmodum enim qui alienis oculis uti coguntur, sæpius fallantur, necesse est: ita qui per interpretes semper alloquuntur cives, nec semper intelligent necessitatem urgentem, nec ambitionum factiones oppriment, nec oppressiones Potentum suppliciis macerabunt, nec remedia cæteris, quæ ignorant, malis adhibebunt. Quemadmodum igitur Principes Viros mirum in modum exornat Humanitas: sic à Principibus Foeminis eadem Virtus aliena omnino esse non debet, ab iis, inquam, quæ MATRES PATRIÆ sunt. Id quod Diva ERDMUTH-SOPHIA, desideratissima,

d

eheu!

eheu! Mater Patriæ nostræ seriò secum recogitans, magnâ in cives fuit facilitate, & vultu ac sermone in omnes placato usa est. Ecquis enim illam ferocius vidit minitantem? quis paulò acerbius loquentem audivit? quis animo vehementius commotam adspexit? O Humanitatem! O Lenitatem! O Mansuetudinem non admiratione tantùm, sed prædicatione quoque dignissimam! Hinc incredibilis omnium in Matrem Patriæ amor: cùmque Natalis ejus in terris adhuc agentis quotannis celebraretur, quæ in civitatibus lætitia? qui sermones Patrum familiâs domi cum suis? quæ vota secreta, cùm longævam MATRI Patriæ vitam, annos, inquam, plurimos certatim precarentur? Suo quisque vivendi spatio detrahare paratus erat, ut Ipsi adjiceret; cùm ex Ejus vitâ conjunctâ cum vitâ & salute Serenissimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI ERNESTI Patris Patriæ clementissimi, quem æternum Numen diu sospitet! omnem incolumitatem ac felicitatem omnium pendere existimârint. Mors autem, eheu! Illius, Matris, puta, Patriæ, quàm ingenti terrore animos subditorum perculerit, dici vix potest. Cum Humanitate Divæ ERDMUTH-SOPHIÆ certat Liberalitas & Munificentia, quam si præteriremus silentio, ingrati animi crimen subiremus. Nam quando, obsecro, quæ honestè ab Ipsâ petivissent aliqui, non impetrârunt? Quos Ipsa egentes vacuis à munere manibus dimisit? Quibus afflictis & miseris defuit, cùm auxilium ab Ipsâ rogâssent? Quàm multis Munificentia suâ vitam quasi inspiravit? Quàm multos misericordiâ suâ sublevavit & jacentes erexit? Quid dicam? Hâc ipsâ Munificentia Divis Majoribus suis dignissimam se præstitit, seque Domûs Saxonicæ & Brandenburgicæ generosissimum furculum esse, demonstravit. Ultramque enim Domum Augustissimam naturâ ad munificentiam propensam fuisse, illi constat, qui annalium memoriam unquam replicavit. Tum verò ipsius munificentia præcordia videntur habuisse Duces Saxonicæ & Brandenburgici Marchiones, quando in Ecclesias & Scholas fundandas totos se profuderunt. WITTEKINDUS Saxonum Angrivariorum summâ potestate Rex, simulatque Cimmericis infidelium tenebris relictis, aquâ Christi tinctus & nomine Christi consecratus fuit, templum quoddam & Collegium postea Canonorum condidit. OTTO I. Augustissimus, ut Dithmarus Autor est, sex Episcopatus construxit & munificentissimè dotavit, ipsumque Archiepiscopatum Magdeburgicum erexit. LIPSIÆ Academiam



miam ex Pragensibus ruinis primus omnium aperuit FRIDERICUS bellicosus: Wittebergensem FRIDERICUS sapiens: Jenensem JOHANNES FRIDERICUS II. & JOHANNES WILHELMUS, FRIDERICI Magnanimi, Filii. Scholarum Ducalium, Misenæ, Grimmæ, & Phortæ conditor est MAURITIUS. Wittebergensis Academiae privilegia ornavit atque auxit AUGUSTUS: magnam modiorum frumenti vinum in communem Mensam, quam vocant, exhiberi curavit: Collegium insuper Augusteum addixit, & pagos aliquot eidem Academiae donavit, quam eodem benevolo affectu prosecuti sunt CHRISTIANUS I. CHRISTIANUS II. & JOHANNES GEORGIUS. I. Serenissimi & potentissimi Electores. JOHANNEM denique GEORGIUM II. Parentem Divæ ERDMUTH-SOPHIÆ *quinque millia Imperialium, ex multis Curia Electoralis, totidemque millia ex residuo stipendiorum, & quindecim Joachimicorum millia, ex vacantibus nobilium feudorum beneficiis, jam sepius dictæ Academiae, ut dilectæ filiae, potenti manu confirmasse,* literæ publicæ inque omnium conspectu positæ testantur. Eâdem laude floruerunt Marchiones & Electores Brandenburgici, quæ laus, quia pervulgata est, præstat de eâ jam tacere, quam festinatâ Oratione eandem deterere. Illud tamen musitandum minimè est aut silentio premendum, quod CHRISTIANUS Avus D. ERDMUTH-SOPHIÆ & ALBERTUS, Beatissimi Principes, propriâ pietate moti, benignâ erga Patriam affectione inducti, hunc Musarum Hortum, à GEORGIO FRIDERICO Principe Literarum & Literatorum amantissimò olim plantatum, coli iterum atque exornari voluerunt, jusserunt; dum Munificentia Ipsorum Gymnasium hoc Heilsbronnense, injuriâ temporum collapsum, restituit felicissimè; restituit, ut pietati sedem, Religioni domicilium constitueret: restituit, ut certus adolescentum numerus Regiâ planè Munificentia in illò sustentaretur, bonis artibus imbueretur, ad honestatem fingeretur: restituit, ut idonei ac salutare doctores nunquam deessent, qui Ecclesiis & Scholis utriusque Principatûs præfici possent. O factum benè! factum laudabiliter! O laudatissimum servandæ ornandæque Reipublicæ studium! O rem magnam & omnium Bonorum literis atque linguis deprædicandam! In horum Majorum & Agnatorum vestigia diligenter intuita Diva ERDMUTH-SOPHIA, uti cujusvis virtutis avida, ita etiam pecuniæ, ut cum Salusliô loquar, liberalis esse maluit, quàm ullum egenum, ullum miserum

rum & afflictum à se discedere tristiore. Insigne Munificentiae Ipsius documentum est, quòd duas cruces argenteas CHRISTI in iis dependentis imagine illustres, magnò confici artificio, & unam earum, eamque magni ponderis, in Sacello Aulico, alteram verò in Parochiali, quod Beruthi est, Templo, proximis abhinc feriis Pentecostalibus erigi curavit. Et majora citra dubium & clariora Munificentiae edidisset specimina, si diuturniorem fata vitam concessissent. Quas Virtutes omnes, uti & reliquas, quibus condignè explicandis me imparem esse, lubenter, & hìc publicè quidem confiteor, illustriores reddidit pulchritudo oris ac totius Corporis forma, quàm inter plurimas hujus seculi Principes Matronas tantum eminuit,  
quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Verissimè cecinit Poëta:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus:  
ut barbaris etiam hominibus, teste Curtiò, in Corporum Majestate veneratio sit, magnorumque operum non alios capaces putent, quàm quos Natura donare eximiâ specie dignata est. DAVIDEM Hebræorum Regem pulchrum adspectu fuisse decorâque facie & subditorum animos ac studia quàm facilimè sibi adjunxisse, sacrarum literarum probant monumenta. ARISTOCRATES RHODIORUM Dux adspectu venerando fuit: quare RHODII, ut autor est SUIDAS, unanimi consensu eum dignum judicârunt, quem solio sui admoverent imperii, summâque Majestate ac potentiâ armarent. OLODANORUM Rex oris dignitate adeò resplenduit, teste CRANZIO, ut, quod alii armis, ipse oculis in hostes, egisse videretur. Igitur nec ego vultus majestatem, frontem exporretam, gravem oculorum splendorem, illustre oris decus, quibus omnibus Diva ERDMUTH-SOPHIA conspicua fuit admodum, silentii peplo involvere debui, nec potui. Tot & tantis donis cùm Heroïna nostra instructa esset & exornata, factum est, ut à Serenissimo Principe ac Dominò, Domino CHRISTIANO ERNESTO, Marchione Brandenburgicò, &c. &c. &c. nunc Viduo mœstissimo, Domino & Nutritio nostro clementissimo conjugii gratiâ ambiretur, & exambita duceretur domum. Tanta Heroïna non nisi tanto Heroë digna erat: qui illo ipso temporis articulo, quo suam ERDMUTH-SOPHIAM solennibus nuptiis sibi junxerat, Virtutibus suis mortale fastigium jam supergressus erat; ita, ut, cùm plerasque Europæ regiones jam tum peragrâisset, easdem in sum-

mam

mam admirationem sui & stuporem rapuerit. Interim in hoc ipso Virtutum stadio adeò constanter perrexit, ut ad eadem natus planè videatur. Taceo multas, quæ in Ipso sunt literæ, & eæ quidem reconditæ & exquisitæ, quibus complures hodiè sui Ordinis longo post se intervallo relinquit. Virtus igitur cum Virtute, quia per modò dictum matrimonium unita fuit, non potuere non illud fortunatum habere ac felix, excepto, quòd communibus liberis destituerentur Serenissimus CHRISTIANUS ERNESTUS & Diva ERDMUTH-SOPHIA, cujus dulcissimæ maritæ confortio, cùm vi mortis, ad quam depellendam exquisitissima peritissimorum Medicorum opera frustra adhibebatur, pridie Idus superioris Junii orbatus fuerit optimus Princeps, magno desiderio ejus perfigitur jure meritoque, nec minori luctu doloreque confunditur. Quod si omnes Boni virtutem in oculis ferunt, eorumque, quorum virtus & honestas, quasi lumen aliquod, extinctis caeteris, eluxit, ex hâc vitâ discesum æquo animo ferre non possunt; eccui sua mens sedibus mota erit adeò, ut in malam interpretetur partem, quod laudatissimus Princeps obitum Divæ ERDMUTH-SOPHIÆ, Virtutum omnium feracissimæ plenissimæque, flebili questu prosequatur. Adhæc cùm alia nulla copula & nexus arctior sanctiorque conjugali sit; magnum certè dolorem esse oportet, quo obruitur Princeps Noster, quando individuum hætenus & exoptatissimam vitæ sociam, ERDMUTH-SOPHIAM, à corde suò abscisam, ab animò divulsam, & ex oculis omnimò ereptam recogitat, & eâ, quâ pollet, mentis acie perpendit. Accedit flos ætatis, quo Ipsa letho data est, mundoque digressa rebus humanis supremum valere dixit, cùm tamen, si supremo rerum humanarum Reçtori ita fuisset visum, vitam in plurimos producere annos potuisset. Qui misericordiâ franguntur facilè, omnes illos, qui in flore ætatis extinguuntur, dolentius deplorare solent. Quid igitur mirum, si obitum amandissimæ Conjugis suæ, cui ætas adhuc florentissima, stabilis vigensque fuit, acerbissimè ferat Princeps noster mitissimus.

At verò cùm luctu & lamentis nihil proficiamus, sed conficiamur tantùm, idque habeat vita nostra, ut propter incerta casuum, semper exposita fato sit, & alii lentâ, alii vero subitâ & rapaci morte hoc Mundo digrediantur: magnum, scio, patientiæ exemplum aperiet, atque ita in mœrore tempera-

perabit sibi, ut eò quidem affectus, sed non confectus, & luctu pressus, sed non oppressus videri unquam possit. Et quamvis exiguo vitæ curriculo Natura circumscriserit Divam ERDMUTH-SOPHIAM; non enim plures, quàm viginti sex annos confecit vivens, ad gloriam tamen, quippe omni muliebri laude defuncta, longissimum peregit ævum. Cumque ipsa ægra & morti proxima ignavis minimè indulserit querelis, sed accersito supra laudato Magnifico Domino à Lilien, & exomologesi in verâ fide, cumque multarum Lacrymarum profusione factâ, sacram Domini cœnam summâ devotione animi participaverit, & animo prompto ac hilari tandem gratulata sibi veluti sit, adesse felicem illam horam, quæ vitæ hujus caducæ & fragilis poneret finem, & contra in æternam illam & semper manentem vitam, felici & persalutari occasu, transitum, Angelis, cœlestibus illis Spiritibus, quos, ex singulari clementiæ Divinæ indultu, adstantes sibi paulò ante obitum conspexerat, comitantibus, pararet; hoc ipsum laborantem Principis animum & dolore affectum sanare tandem & confirmare poterit. Jam unica nobis superest devota oratio, quam ad Te ferimus supplices, sempiternæ Deus, immortalis Principum Præses & Custos: serva, quæsumus, protege ac tuere Principem Nostrum clementissimum, CHRISTIANUM ERNESTUM, Ipsiq; mœstissimo Viduo ejusmodi animi robur inspira, ut hanc divinitus immisam cladem animo patienti ferat, atque adeò secum reputet, Divam ERDMUTH-SOPHIAM sibi à Deo ea lege donatam fuisse, ut, cùm reposceret, sine indignantis pectoris molestiâ remitteretur. Effunde in Ipsum largæ Benedictionis tuæ imbrem, ut prosperâ firmâque corporis valetudine utatur semper, & non nisi ætate plenus fessusque decedat, & ad cœlum, unde nobis donatus est, redeat æternis gaudiis fruiturus. Mitte angelos tuos, cœlestes Spiritus, ut castra circa Ipsum metentur in omnibus viis custodiendum, ne fortè ad lapidem offendat pedem. Diutissimè terris Ipsum reserva omnique felicitate corona, cujus salute & incolumitate, ipsa salus & incolumitas nostræ continetur. O amandissime Deus! Nos sumus optantes: Tu verò optatis nostris & votis ex devotorum cordium thalamo profectis clementissimè responde. Sed desino plura dicere: nam vereor, ne, si longiùs hanc Orationem perducerem, molestus vobis sim, vestraque, Auditores, quàm libenter

benter mihi concessistis, benevolentiam abutar. O Navis re-  
 revertere in portum, satis in hoc fretum fluctuavimus! Vos  
 autem, VIRI omnium ordinum honoratissimi, quod Orati-  
 oni meae tum attentè, tum benivolè aures animosque præ-  
 bere, & huc usque præsentiam vestram assistere, confesumque  
 ornatorem facere volueritis, eo nomine me obstrictum ma-  
 ximè vobis esse profiteor. Rogo autem, quàm possum di-  
 ligentissimè, ut si non omnia, eam, quàm par fuit, sermonis  
 suavitate, adduxi, mihi ignoscatis, atque ea, quæ  
 desunt, cogitatione vestram supplere dignemini.

D I X I.



1752 K FK

portantibus...  
revertitur in partem...  
autem...  
qui...  
hanc...  
omnium...  
quod...  
litterarum...  
hanc...  
solum...

D X L



HL



ULB Halle  
004 788 923

3



WDA





h. 3, 34.

Vc  
2542

# ORATIO FUNEBRIS,

In  
Beatissimum Obitum,

Nunc  
DIVÆ,

Olim

ERD

JOH

Marchionis  
Stetini, Po  
Crosnæ  
& P

Ber

CH

Marchionis  
Pomeraniæ  
noviæ D

Il

De

M.

PHIA,

GI. II.

argi, Borusliæ,  
rum & in Silesiâ  
ibergensium,  
mensium,

na,

LXX.

ni,

ESTI,

Borusliæ, Stetini,  
sliæ Crosnæ & Car-  
incipis Halber-  
m,

ni,

simæ,

bronnensi

Augusti,

Colero,

